

quemquam, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere? Haec enim est tyrannorum vita: in qua nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiae potest esse fiducia: omnia semper suspecta, atque sollicita; nullus locus amicitiae. Quis enim aut eum diligit, quem metuit; aut eum, a quo se metui putat? Coluntur tamen simulatione duntaxat ad tempus: quod si forte (ut fit plerumque) ceciderint, tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum. Quod Tarquinius dixisse ferunt, tum exulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, cum jam neutris gratiam referre posset: quamquam miror, illa superbia et importunitate, si quemquam habere potuit. Atque ut hujus, quem dixi, mores, veros amicos parare non potuere: sic multorum opes praepotentium excludunt amicitias fideles. Non enim solum ipsa fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa est. Itaque efferuntur illi fere fastidio, et contumacia: neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari, spernique ab iis veteres amicitias, indulgere novis. Quid autem stultius, quam cum plurimum copiis, facultatibus, opibus possint, cetera parare, quae parantur pecunia, equos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa: amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitae, ut ita dicam, suppellectilem? Etenim cetera cum parant, cui parent, nesciunt, nec cujus causa laborent. Ejus enim est istorum quidque, qui vincit viribus: amicitiarum sua cuique permanet stabilis, et certa possessio: ut, etiamsi illa maneant, quae sunt quasi dona fortunae, tamen vita inculta, et deserta ab amicis, non possit esse jucunda.